DISSERTATIO DE PRIMA HOMINUM ORIGINE PHILOSOPHICE DISCUSSA AC...



DISSERTATIO
DE PRIMA HOMINVM ORIGINE
PHILOSOPHICE DISCVSSA
AC PVBLICE PROPVGNANDA

QVAM

REVERENDISSIMO PATRI

D. D. MAVRITIO ROFFREDI

ABBATI MONASTERII CASAE NOVAE DIOECESIS TAVRINENSIS

ORDINIS CISTERCIENSIS

D. D. D.

D. DIONYSIVS VLIVIERI VITERBIENSIS

EIVSDEM SACRI ORDINIS MONACHVS

Et Collegii S. M. MAGDALENAE CISTELLI Alumnus

Assistente Adm. R. P. D. PROSPERO CAMPANA
Eiusdem Collegii Lectore.



FLORENTIAE, MDCCLV.
Ex Typographio ANDREAE BONDUCCI.

PRAESIDVM PERMISSV.



DE PRIMA
HOMINUM ORIGINE
PHILOSOPHICE DISCUSSA.



DISSERTATIO.

I.  Ccusantur moderni Philosophi ab aliquibus etiam non contemnendae auctoritatis Viris, quod systemata invexerint, quae occasionem dare possunt & ad Fidelium pietatem diminuendam, & ad revocanda in dubium certissima Catholicae Religionis dogmata: aliqui etiam sunt, qui putant recentiores ipsos Philosophos ea principia tradidisse, quibus Increduli se tuentur, atque Religionem omnem evertere tentant. Hae calumniae confirmari videntur ex eo, quod plurimi, qui recentiorem profitentur Philosophiam, multa docuerunt, quae a Catholicis dogmatibus abhorrent, atque religiosis moribus adversantur. Nihilominus fatendum est, recentiori Philosophiae vitio haec perniciosissima mala verti non

posse; cum similia potius originem trahant a perditissimis Scriptorum moribus, aut ab abusu praeceptorum sanioris etiam Philosophiae, quemadmodum erudimur ab experientia retroactorum saeculorum, qua convincimur, quocumque Philosophico systemate florente, semper tamen errores contra Religionem irrepsisse. Quod vero aliqui Philosophi abusi sint verae Philosophiae praeceptis dum ea dogmata adstruerent, quae Sacris Libris, & Christianae Religionis documentis sunt opposita, apparebit, ut confido, ex pluribus locis huius Dissertationis, in qua philosophice discutiendam assumo humani generis originem.

II. Homo quilibet nunc existens cognoscere potest se non extitisse ante aliquot annos; ideoque sibi conscius esse debet se non habere existentiam ex intrinseca necessitate naturae propriae, ac consequenter se aeternum non esse, sed in contingentium numero debere collocari. Cum vero contingentia singula suam primam originem recognoscant ab aliquo aeterno Ente ex necessitate naturae suae existente, scilicet a Deo, quatenus iste prima Individua omnium specierum produxit per veram creationem; hinc jure optimo deducitur, primam hominum originem fuisse ipsorum creationem a Deo factam. Necesse non judico haec ulterioribus rationibus confirmare, cum ipsa certissima sint, & a sapientissimis Viris saepe jam demonstrata.

III. Tamquam consectarium itaque deduci potest, falsum esse Systema illorum Philosophorum, qui putant hominum originem a materia ab aeterno existente, et a fortuito atomorum materialium concursu esse repetendam; sola enim inspectio humanae machinae sufficit ad penitus evertendam horum Philosophorum sententiam, cum mirabilis prorsus sit humani corporis structura: nam in ipso plura inveniuntur organa mirifice constructa, rite ordinata, atque ita disposita, ut non solum apta agnoscantur ad exercendas eas omnes generales functiones, quae ad humani corporis conservationem requiruntur; sed eorum singula quoque valent quasdam peculiares, & sibi proprias operationes praestare. Haec omnia in hominum Auctore summam ostendunt intelligentiam, ideoque excludunt omnem fortuitam causam: quod magis constabit, quando inferius demonstrabimus a naturalibus causis repeti non posse humani corporis structuram.

Cum

IV. Cum vero hominum ſtructura, ac organorum uſus indubie oſtendant ſummam intelligentiam in eo Ente, quod homines produxit, ac vulgaria elementa vel ſingillatim, vel collective ſumpta, intelligentiam non habeant, ipſamque excludant omnia ſimplicia, vel compoſita materialia entia, etiam cum quibuſcumque naturalibus cauſis coniuncta, ut invictis rationibus oſtendi poſſet, ſi id ſaepeſaepius a praeclariſſimis Philoſophis invicte demonſtratum non fuiſset; hinc ſequitur, quod neglecta creatione explicari non poteſt hominum origo ex uno, vel altero elemento, aut ex ipſorum mixtione: ideoque dicendum eſt Philoſophos illos, qui docuerunt hominum corpora ab elementaribus particulis eo pacto ortum duxiſſe, quo cetera inorganizata corpora oriri autumarunt, ex eo erraſſe, quod iſti ſerio non conſiderarunt differentiam, quae intercedit inter ſtructuram organizatorum corporum, & texturam eorum, quae organizata non ſunt; neque attente examinarunt utrum naturales cauſae efficere poſſint mirabile organizationis opus. Quae ſi praeſtitiſſent, agnoviſſent profecto, neque ſimplicem elementarium particularum diſpoſitionem, neque quaſcumque alias naturales cauſas valere ad humanam machinam organizandam, & ad eius mirandas prorſus operationes explicandas. Haec ita eſſe ex inferius dicendis evidentiſſime conſtabit.

V. Intelligentia, quam neceſſario exiſtere debere diximus in hominum Auctore, eliminari non poteſt adoptando Anaxagorae Syſtema, qui ſtatuit corpora omnia ex ſimilaribus partibus componi, quatenus per iſtud, ut plures Philoſophi opinati ſunt, Anaxagoras admiſit in rerum natura adeſſe particulas elementares organizatas, quae aptae eſſent ad efficiendam organizationem omnem tum animalium, tum vegetabilium. Quomodo particulae ſimilares Anaxagorae interpretandae ſint, dubium adhuc remanet apud Philoſophos. Nos Anaxagorae ſyſtema adprobamus, ſi per iſtud admittatur, materiam eterogeneam eſſe, ſcilicet, materiales, ac elementares particulas ob diverſam earum naturam inter ſe differre: ac proinde corporum diverſitatem non ſolum explicandam eſſe per diverſam combinationem, atque diſpoſitionem elementorum, ſed etiam per horum diverſam naturam. Ita, puta, aurum non ſolum differt a metallis ceteris, quia diverſam combinationem habet, atque unionem particula-

rum elementarium, sed etiam quia ejus elementa determinatam habent naturam, ob quam solum apta sunt ad constituendum tale corpus, quale est aurum. Si tale, inquam, sit Anaxagorae Systema, huic libenti animo quoad hanc partem subscribimus. Verum si ulterius contendat Anaxagoras, corpora quoque organizata animalium, & vegetabilium, componi ex similaribus particulis, quatenus materiales adsunt particulae organicae, quae habent organizatam structuram similem ei, quam habet corpus, in cujus compositione ipsae ingrediuntur, id absolute negamus, atque partem hanc Systematis Anaxagorae reicimus: cum nobis persuasum sit in rerum natura nullas existere elementares particulas organizatas, neque causas naturales efficere posse organizationem in materia, quae organizata non sit.

VI. Antequam ostendam non dari in natura elementares particulas organicas, optimum duco primum definire quid *organicum* sit. Id praestitit Clarissimus Wolfius in sua *Cosm. Gen. sect.* 2. *cap.* 3. §. 274. ubi asserit, organicum esse corpus, quod vi compositionis suae ad peculiarem quamdam actionem aptum est. Hanc definitionem bonam esse, & naturam organici optime explicare sustineo; ideoque ipsam adopto. Posita hac definitione, tamquam consectarium ex ipsa infertur, quod si in rerum creatione factae fuissent particulae elementares organicae, istae deberent esse indestructibiles atque immutabiles; cum alterari non possit organici compositio, quin una simul mutetur aptitudo ad peculiarem actionem: nam talis aptitudo, ut evidenter patet ex data definitione, determinatur ab organici compositione: quare si ista mutetur, ut altera quoque cesset omnino necesse est: ideoque in rerum natura vel non dantur partes organicae elementares, vel si dantur, istae debent esse indestructibiles, atque immutabiles.

VII. Quod in rerum natura existere non possint partes elementares organicae indestructibiles atque immutabiles, quae inservire valeant pro compositione animalium & vegetabilium, perspicuum est: nam animalium & vegetabilium structurae multum inter se differunt; unde diversitates istae explicari deberent per organicas particulas elementares, si ab istis omnis organizatio derivaret; quare partes elementares organicae ejusdem naturae non essent, sed diversae. Individua quoque omnia ejusdem speciei

ciei inter se differunt ratione structurae; ergo ipsorum etiam diversitates in structura determinari deberent a particulis organicis elementaribus: quare quot esse possunt individua omnium specierum, tot entia esse deberent, quae ad eorum compositionem determinatas quasdam particulas elementares organicas exigerent. Insuper singula individua cuiuscumque speciei accidentales, ac diversas mutationes patiuntur in eorum structura: tales mutationes repugnant naturae indestructibilium ac immutabilium partium organicarum; nam si organizatorum individuorum structura determinatur a dispositione dictarum partium organicarum, istae, cum ex supposito indestructibiles sint, atque immutabiles, ratio, cur potius uno, quam alio modo disponantur, solum repeti potest ab ipsarum organizatione, quae inalterabilis esse debet, sicuti inalterabiles sunt partes organicae, ac consequenter immutabilis erit earum dispositio, ex qua resultat organicorum individuorum compositio, seu structura; unde & individuorum structurae inalterabiles essent. In hoc §. exposui absurda, quae sequerentur, si partes organicae inalterabiles, atque indestructibiles supponerentur a Deo creatae in prima rerum creatione: & ex §. antecedenti patet supponi non posse partes organicas, quae mutabiles sint: ideoque inferendum est, nullas in prima rerum creatione a Deo positas fuisse partes organicas, ex quibus organizata corpora componi possint.

VIII. Ex his, quae usque adhuc fuerunt demonstrata, satis luculenter constat, excepto Mosaico Systemate de hominis creatione, expresso in primis Geneseos capitibus, reliquas recensitas opiniones, quae hominis creationem excludunt, repugnare aeque Revelationi, ac Rationi. Confidimus etiam, quod si aliqua sint, vel excogitari possint Systemata, quae opponantur creationi a Moyse descriptae, ipsa quoque impia, & absurda demonstrari posse: nam de ipsis semper verificabitur, ea non sufficere ad hominum originem determinandam, neque ad eorum organizationem explicandam. Ad haec ostendenda sufficientes pariter erunt rationes, que fuerunt adductae. Non amplius itaque immorabor in inquirendis talibus Systematibus, vel in ipsis refellendis.

IX. Philosophi illi, qui hominum creationem admiserunt, unanimes non sunt in iis tradendis, quae ad hominum originem spectant: aliqui enim ex istis sunt, qui licet crea-

creationem supponant, docent tamen homines fuisse Adamo antiquiores. Istud falsum assertum eorum aliqui probare contendunt ex ipsis Sacris Libris: alii vero ex Mundi antiquitate, quam tradunt maiorem esse illa, quam Moyses de universa rerum creatione disserens praescribit.

X. Fabulas somniant illi, qui praesumunt ex Sacris Literis ostendere, extitisse homines Adamo antiquiores, idest Praeadamitas: clarus enim, & apertus est sensus expressus in Genesi, ubi disseritur de prima hominis creatione: ibi rotundis verbis pronuntiatur, tempore creationis cunctarum rerum, primum hominem quoque, Adamum scilicet, creatum fuisse; nec aliter interpretari possumus sacrum Textum, nisi recedatur ab eiusdem literali & proprio sensu. Quae adducuntur ex Sacris Literis ad ostendendam Praeadamitarum existentiam nihil probant; cum ista deducantur ex male intellectis narrationibus, vel a quibusdam expressionibus, quae valde diversum significatum habent ab illo, quem Philosophi isti contendunt. Fusius de hac re disserere turpe est, cum sacer Textus tam clarus sit, ut quilibet agnoscere possit eum Praeadamitarum existentiae opposita tradere.

XI. Falsa pariter proferunt illi, qui docent mundi originem superare aetatem, quam Moyses huic tribuit: hinc levibus coniecturis Philosophi illi laborant, qui contendunt ex Mundi antiquitate inferri posse, extitisse Praeadamitas. Est sane inanibus commentis, atque fabellis innixas esse Tabulas Chronologicas Aegyptiorum, Sinensium, Chaldaeorum, vel aliorum populorum, qui antiquitatem sibi tribuunt Mundi aetatem superantem, plures Critici & Eruditi invictissimis rationibus ostendunt.

XII. Neque pariter in dubium revocari potest Mosaica Mundi aetas ex montium structura. Quae enim de origine, atque structura montium circumferuntur systemata, tam dubia sunt, ut eorum Patroni fateri debeant arduas dari difficultates, quae admodum difficulter explicari possunt, quacumque admissa hypothesi de ipsorum efformatione. Celebriores saeculi nostri Philosophi, atque Naturalistae, putant aptam materiam pro montium constructione ab aquis maris esse repetendam, quatenus observant, conchas, testacea, ac plures maris productiones analogam naturam habere cum marmoribus, ac nonnullis

alis

aliis fossilibus, quae in compositione montium ingrediuntur: horum etiam strata indicare videntur montes erupisse ex ea materia cum aqua mixta, vel in ipsa soluta, quae tractu temporis ob eius gravitatem ab aqua se separavit, ac ob ipsius interruptos descensus diversa strata efformavit. Verum horum Philosophorum sententia minime demonstrat montium originem superare Mundi aetatem a Moyse statutam. Etenim licet dictis Philosophis concedamus montium materiam ab aquis maris esse desumendam, ipsasque montium efformationem adiuvasse, non ideo tamen sequitur longo temporis intervallo hoc opus praestitum fuisse: nam & ipse Mosaicus Textus expresse indicat in prima rerum creatione aquas maris una cum reliqua globi terrestris materia unitas extitisse; unde quando = Dixit....
„ Deus: congregentur aquae, quae sub Coelo sunt, in locum
„ unum: & appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit
„ Deus aridam terram, congregationesque aquarum appel-
„ lavit maria = ita seiungere potuit materiam aptam ad montium structuram ab aquis, ut montes parvo temporis intervallo efformarentur, aut saltem ita dictam materiam disponere, ac circumstantias accommodare, ut ipsa iuxta motus leges, ac vires sibi proprias non longo annorum spatio montes constitueret. Ceterum huius systematis sectatores sequentia nobis concedere tenentur, scilicet: Primo Moysem nobis expresse indicare in prima rerum creatione maris aquas una cum apta materia pro montium constructione fuisse permixtas. Secundo, Naturae Auctorem, a quo montes, & cuncta creata derivant, non solum potuisse leges naturales stabilire, iuxta quas secundariae causae suos effectus producunt; sed ipsas leges ita modificare, ut causae secundariae parvo tempore perficere potuissent ea, quae nunc iuxta earum ordinarias vires praestare non valent, nisi longa annorum periodo. Tertio denique negari non posse, post creatam materiam Deum plura fecisse Mundum ordinando, quae explicari nequeunt per solas causarum naturalium vires. Haec si attente perpendantur, indubie constabit, veram Mundi aetatem a nobis determinari non posse, ea perpendendo, quae in montium structura observantur.

XIII. Licet dicamus montes extitisse, qui vel cum ipso mundo, vel paulo post eius originem fuerint producti, non ne-

negamus tamen alios extitisse montes, qui longo annorum intervallo fuerunt constructi ex materia in aqua maris soluta, eique immixta, quae proprio pondere decidens montes efformare potuit: ad id persuademur ex eo, quod plura adinveniuntur corpora in visceribus montium, quae creationis tempore probabiliter non existebant. Ita improbabile est creationis tempore tot extitisse marinas conchas, quot in montibus hac nostra etiam aetate adveniuntur. Improbabile pariter tot animalium ossa, tot petrificata animalia, vegetabilia, aliaque similia montium structuram occupasse usque a creationis initio. Opinamur itaque plures montes post creationem ab aquis maris fuisse efformatos: idque etiam ex eo probabile credimus, quod creationis tempore aquae maris multum erant elevatae, ac modica terrae superficies tunc ab aquis erat libera. Haec deducimus ex sequentibus rationibus. Et primo quia plura referuntur historica facta apud nationes quascumque, quae evidenter ostendunt maris aquas multum esse imminutas. Secundo, cum Adam & Eva soli homines essent, & ex Brutorum speciebus prima dumtaxat extarent individua, necesse non erat, ut quam incolebant, terrae superficies multum ampla, ac vasta esset. Tertio, quatenus Moyses, qui multam meretur fidem non solum ut inspiratus, sed etiam ut antiquissimus Auctor, ea tradit, quae indubie supponunt parvam fuisse terrae superficiem ab aquis liberam, scribens in *Lib. Geneseos Cap. 2. ver. 6.* „ Sed fons ascendebat è „ terra, irrigans universam superficiem terrae.

XIV. Itaque si admittatur, maris aquas universam fere terrae superficiem occupasse, illico apparebit, quod plures vicissitudines, ac mutationes, in terrestri superficie contigerunt, quae etiam excrescere potuerunt ob plures alias causas, puta, ob ingentes terraemotus, vehementes pluvias, Vulcanos ignem, ac inflammatam materiam evomentes, aliaque similia, quae recensere longum ac operosum esset: male itaque philosophantur illi, qui ex ruinis, ac mutationibus terrestris superficiei deducere volunt Mundum longe superare aetatem, quam Moyses ipsi tribuit.

XV. Quamvis rationi consonum esse possit, quod maris aquae maximam terrestris globi partem occupaverint: improbabile tamen videtur, quod tota terrestris superficies in ipsis fuerit immersa; hinc sententia ista, quae tue-

tuetur ab Anonymo Auctore in opere, quod inscribitur *Telliamed*, tamquam fabula merito reiicienda est: ideoque falsum etiam est, quod ab eodem Auctore in dicto opere traditur; scilicet post diminutas aquas maris, atque exsiccatam aliquam partem terrestris superficiei, quaedam monstra marina humanam figuram praeseferentia maris aquas deseruisse, & tunc terrestrem superficiem incoluisse, a quibus originem postea homines traxerunt, quatenus haec monstra terrestris superficiei incolae societati adsueverunt, atque ob societatis culturam veri homines evaserunt. Turpe videtur hac nostra aetate traditum fuisse tale systema, quod simile prorsus esse videtur cum illo Anaximandri, qui docuit homines ex piscibus originem duxisse. Insuper etiam in ipso ea continentur, quae prorsus humanae naturae sunt repugnantia. Etenim hominum natura exigit quasdam facultates, quae singulis hominibus competunt: earum tamen usum acquirere non possunt homines, nisi educentur ab aliis hominibus dictis facultatibus utentibus. Est sane ipse rationis usus, per quem praecipue homines a brutis distinguuntur, acquiri non potest, nisi in culta hominum societate. Etenim per rationis usum plurium veritatum nexum percipimus: ad talem autem nexum percipiendum, vel demonstrandum, propositiones universales in mentem revocandae sunt; unde rationis usus absque memoria dari non potest. Propositiones quoque universales exigunt reflexionem, atque ut attendamus ad ea, quae in individuis eadem sunt, ut per abstractionem eorum notiones universales efformemus. Rationis itaque usus supponit memoriam, attentionem, ac reflexionem. Quando ideas aliis vicibus excitatas in mentem revocamus, una simul ad memoriam redeunt nomina, quae conveniunt rebus per ideas repraesentatis; sicuti quando ad nomina attendimus, excitantur quoque ideae ipsis nominibus correspondentes; ideoque verum est, quod nomina multum memoriam adiuvant. Rerum nomina, sive idiomata, discere non valemus nisi instruamur ab aliis hominibus, qui usum sermonis habent; unde homines extra hominum societatem vel nullum habebunt memoriae exercitium, vel illud multum imperfectum. Usus facultatis dirigendi attentionem ad unam potius ideam, quam ad aliam, quem necessarium ad rationis usum asseruimus, quatenus sine ipso notiones universales acquirere non

va-

valemus, ab aliorum hominum instructione, & exemplo acquiritur, dum ab eorum praeceptis discimus plures notiones inter se distinguere, atque ab eorum consuetudine, et factis erudimur modo ad unam, modo ad alteram ideam attentionem dirigere. Praeterea etiam dum reflexione utimur ad notiones universales efformandas, ideae alias excitatae ab individuis iterum ad mentem revocari debent, ut una comparentur quae similes sunt, ac notionem universalem efficiamus: ideoque memoria exercenda venit. Verum cum ex antea dictis memoria supponat sermonis usum, quem ab aliis hominibus obtinemus; hinc reflexionis etiam exercitium ab aliis hominibus acquirere debemus. Itaque cum rationis usus memoriae, attentionis, ac reflexionis exercitium supponat: cum istud obtineri non possit extra hominum consortium; sequitur etiam, quod rationis usus acquiri solum potest ab eodem hominum consortio.

XVI. Hic praescindimus a primo homine, Adamo scilicet, qui licet societatis esset caput, ipse in usu suarum facultatum erudiri non potuit ab aliis hominibus iisdem facultatibus utentibus, quatenus tales non extabant homines: inferius enim dicemus quomodo Adam suarum facultatum usum obtinuerit. Animadvertimus etiam nos ultro concedere, quoscumque homines etiam extra societatem enutritos aptitudinem habere ad exercendas proprias facultates: dicimus tamen ob rationes in §. antecedenti adductas, quod dictam aptitudinem ad actum producere non possunt homines, nisi in hominum societate sint instructi: unde obstaculum, qualecumque istud sit, ad facultatum exercitium tolli dumtaxat potest a consortio aliorum hominum, qui dictis facultatibus utantur.

XVII. Quae diximus de recensitis hominum facultatibus; confirmantur etiam ex illorum hominum observatione, qui extra humanam societatem fuerunt enutriti. Plures ex his hominibus referri possent, sed eos enumerare sufficiat, quos Bernardus Connor in Evangelio Medici Art. xv. commemorat, eosque dicit inter ursos fuisse educatos, ac repertos in nemoribus ad confinia Lithuaniae, ac Russiae. Duo isti fuerunt, in quibus nullus apparuit sermonis usus, nullae intellectus operationes, ac denique nullum rationis indicium. Exempla ista sine dubio confirmant, homines educatos extra hominum con-

consortium, acquirere non posse plurium facultatum usum, quibus homines ceteri in humana societate degentes ad eorum libitum utuntur. Quod ut clarius appareat, aliud factum adducere iuvat. Narratur istud in Historia Academiae Regiae Scientiarum Parisinae ad annum 1703. de Iuvene, qui a nativitate surdus & mutus fuit: iste educatus fuit a Parentibus Catholicae Religioni addictis, a quibus quosdam actus externos divini cultus didicit. Verum cum fortuito casu auditum fuisset adeptus, post quatuor menses verba imperfecta fundere coepit: a Theologis solerter fuit interrogatus, qui adinvenerunt eum non solum nullam de Deo, anima, & actionum moralitate ideam habere; sed ipsum numquam advertisse ad eos actus externos, quos alios imitando didicerat, & multo minus super iisdem reflexisse. Ex his ergo inferri potest, quod Iuvenis iste, licet educatus in hominum consortio, imitatus quidem fuit aliqua, quae vidit in aliis; id tamen praestitit absque attentione, ac reflexione, et absque omni prorsus rationis usu: unde dicendum est id contigisse quatenus iste ob surditatem carebat mediis, quibus erudiri poterat ab aliorum hominum consortio. Id verum esse ex eo constat, quod auditu obtento acquirere coepit sermonis usum. Hisce praemissis, indubie constat, solum acquiri posse usum humanarum facultatum in hominum societate, qui eisdem utantur. Cum vero monstra marina recensita ab Anonymo laudato §. xv. humanarum facultatum usum non habeant, ac ab eodem Auctore supponatur non extitisse homines in humana societate educatos, dum asserit tales homines originem traxisse ab illis monstris; plenarie demonstratum remanet quod ea monstra inepta erant ad usum humanarum facultatum, ac proinde ab ipsis hominum origo repeti non potest; nam & isti inepti essent ad usum suarum facultatum. Fabulas itaque venditat Anonymus auctor, dum esserit homines ortum duxisse a piscibus humanam figuram praeseferentibus, nec veram hominum originem est assecutus. Neque opponi potest contra probata in hoc §. quod illi sylvestres homines, & surdus a nativitate, usum quidem suarum facultatum habuerint, sed illum manifestare non potuerunt ob loquelae defectum, ac aliorum externorum actuum, ex quibus homines iudicant de facultatum usu: quos tamen ipsi extra societatem enutriti ignorabant. Haec enim

nihil officiunt demonstratis in §§. antecedentibus, nam possibilitas agendi est id, quod facultatem dicimus: actio ergo est facultatis usus, seu exercitium: ad hoc itaque, ut dici possit in hominibus recensitis in hoc §. dari usum humanarum facultatum, eorum actiones humanae esse debent, seu tales esse debent quales fieri solent a ceteris hominibus, qui suis facultatibus utuntur. Vnde etsi concederemus Adversariis tales homines habuisse plures ideas in eorum statu sylvestri, vel aliquam ratiocinii speciem, qualem aliqui Philosophi in brutis absque sufficientibus rationibus admittere volunt, peculiarem etiam modum, quo suas ideas significarent absque loquelae usu; tales actiones humanae reputari non poterunt, cum factae non sint eo modo, quo fieri solent a ceteris hominibus: ideoque falsum erit, quod dicti homines sylvestres humanarum facultatum exercitium habuerint. Id etiam ex eo constant, quod homines recensiti in hoc §. usum loquelae ante eorum commercium cum aliis hominibus non habebant: loquela vero est facultas hominibus propria: saltem itaque concedi debet, quod huius humanae facultatis usum dicti homines non haberent, & quod maior pars aliarum facultatum ab ipsis exercearur per actus omnino diversos ab iis, quibus utuntur reliqui homines.

XVIII. Naturales hominum facultates non solum ostendunt eorum originem a monstris marinis repetendam non esse; sed insuper etiam invicte demonstrant Adamum, primum hominem scilicet, in sua creatione a Deo donatum fuisse usu & exercitio suarum facultatum: naturalium enim facultatum exercitium, ut antea probatum fuit, homines ex seipsis acquirere nequeunt; unde ab aliorum instructione pendet. Cum ergo homines non extarent, a quibus suarum facultatum usum Adam acquireret; cum ex seipso id praestare non posset; inferendum remanet Adamum id obtinuisse ab eius Creatore, idest a Deo.

XIX. Naturalium facultatum usus plures exigit notiones, ut quisque deducere potest ex dictarum facultatum essentia: cum ergo Adam a Deo fuerit donatus naturalium facultatum usu; consequens etiam est, ipsum a Deo plures notiones obtinuisse. Id etiam demonstratur ex eo; quod Adamo necessariae erant plures cognitiones pro eius vita conservanda, aliisque praestandis,

quae

quae exigebat rerum conditio, in qua positus erat. Dei itaque Bonitas praestare debuit, ut Adam eas ideas haberet, sine quibus nec vivere diu poterat, nec sanitatem conservare. Verum licet dicamus Adamum a Deo accepisse plures cognitiones, non tamen sustinemus, rerum omnium cognoscibilium scientiam infusam ipsum obtinuisse: nam id neque absolute necessarium Adamo videbatur; neque positiva adsunt argumenta, quae id probent; ac denique de hac re alte silent Sacrae Litterae.

XX. Concedendum enim est, quod naturales facultates sint datae hominibus, ut ipsi iisdem utantur, seu ad actum eas perducant. Ast cum plurium facultatum usus acquiri non possit, nisi in humana societate; apparet itaque ex istis, hominem a Deo creatum fuisse ad societatem. Plura in hominibus observantur pariter ex eorum natura derivantia, quae indubie id ostendunt. Ita agnoscitur, diversos homines diversas propensiones ab ipsa natura sortitos fuisse, unde sponte sua ad varia vivendi genera, feruntur: facultas quoque inventionis, qua homo pollet, inter humanae naturae perfectiones enumerari meretur. Observabile etiam est homines natura sua ita esse comparatos, ut in eorum animis non tantum mala propria tristitiam gignant, sed etiam aliena. Verum nullius usus essent facultates istae, si homines extra societatem victitarent. Fatendum etiam est nihil in universa natura infelicius fore homine brutorum more victitante: cum enim a natura ipsa habeant animalia cuncta, quo sibi suis consulant necessitatibus; uni homini diuturna experientia, & improbo labore opus est, ut a noxiis ea, quae naturae sunt proficua, distinguere valeat. Homo itaque extra societatem breves annos viveret, eosque infelicissimos: societate ergo indiget homo, & ad ipsam a Deo fuit creatus.

XXI. Homines naturaliter in societate constitutos plures obligationes naturales contraxisse, nemo negare potest: sed cum societas innixa sit naturalibus hominum facultatibus eorum etiam obligationes ab eiusdem facultatibus determinari debent. Hinc liquet quid naturalis Lex sit, obligatio scilicet in naturalibus facultatibus fundata. Cum vero Lex actionum regula sit, constat homines posse actiones suas huic legi, conformiter dirigere, aut non: Actiones legi conformes bonae sunt; difformes vero malae: ideoque patet dari veram, ac realem distinctionem in rerum natura fundatam bonum

inter, & malum; ac proinde virtutes, & vitia non pendere ab hominum arbitrio, vel a simplici populorum consuetudine. Insuper cum rerum omnium essentiae determinatae sint, atque constantes, cumque singula determinata sint, quae ab ipsis procedunt, vel procedere possunt, dari debet modus constans, quo res cognoscibiles a nobis percipi possunt: unde deducimus notiones nostras, seu ideas, in nobis excitari dependenter a determinatis, ac constantibus legibus, quarum ope verum cognoscere possumus: ac proinde tamquam commentum reiicimus eorum sententiam, qui asserunt ideas nostras esse mere relativas, ac eas determinari iuxta diversum hominum arbitrium, vel diversos populorum mores, ac consuetudines. Non inficiamur tamen hominum iudicia saepe saepius mutari iuxta diversam eorum educationem, atque varia, quae adoptarunt principia: error tamen, qui in hisce casibus irrepere potest, tribuendus non est legibus constantibus, ac determinatis, iuxta quas ideae nostrae excitantur, sed praeiudiciis, ac abusui dictarum legum.

XXII. Cum demonstratum sit, Adamum fuisse primum hominem a Deo creatum; hinc consequens fit, ceteros homines ab Adamo originem habuisse. Neque hanc deductam propositionem evertere possunt coniecturae, quibus nonnulli Philosophi probare contendunt plures esse hominum species, qui deinde inferunt, singulas horum hominum species peculiarem habere originem. Philosophi, qui putant adesse diversas hominum species, falluntur ex eo, quod quasdam accidentales mutationes, easque individuales, quas constanter observant in hominibus cuiusdam regionis, sumunt pro specificis determinationibus: ideoque iudicant hominum species variari iuxta diversas illas accidentales, ac individuales mutationes, quae, ut plurimum desumuntur a structura corporis humani. Verum si Philosophi isti animadverterent, quod in singulis hominibus ea sunt illa omnino, quae in ipsis tamquam essentialia, & attributa considerari possunt, & consequenter eadem esse, ex quibus specificae determinationes desumi debent, agnoscerent profecto specificas determinationes in hominibus non mutari; ideoque fingi non posse hominum species diversas esse. Et sane omnes, qui vere homines appellari possunt, anima rationali reperiuntur instructi; corpus habent eodem modo, quoad essen-

essentialem structuram organizatam; ac in illo eadem ratione vitales functiones perficiuntur. Facultates etiam animae rationalis, puta, ratio, memoria, attentio, reflexio, imaginatio, libera voluntas, pari ratione in singulis hominibus adinveniuntur, & si in ipsis aliqua detegitur disparitas, haec potius tribuenda videtur educationis, ac culturae defectui, quam mutatis animae essentialibus. Quae igitur constanter in hominibus deprehendi possunt, haec in singulis eorum individuis reperiuntur: inferendum itaque est, homines inter se specie non differre; ac proinde plures non dari hominum species. Hinc omnes homines ab Adamo originem habuisse dicendum est.

XXIII. Singuli homines habent corpus organizatum; difficile tamen est determinare quomodo hominum corpora producantur; utrum scilicet ista a Deo fuerint efformata, atque in primo homine Adamo posita tamquam tenuissimi embryones, qui foecunditatis, ac nutritionis ope successive se expandant, & ad hominis molem excrescant; vel ista a naturalibus causis in matris utero producantur. Acriter adhuc de hac re disputant nostri aevi Philosophi. Verum mihi persuasum est impossibile esse causas naturales quascumque efficere posse humani corporis organizationem. Antequam huius meae sententiae rationes adducam, optimum duco primum definire quid intelligendum sit causarum naturalium nomine. Causas naturales eas appello, quae suum producunt effectum per vires iuxta regulas motus explicabiles. §. VI. iam dixi organicum esse corpus, quod vi compositionis suae ad peculiarem quamdam actionem aptum est. Hisce praemissis, demonstrandum aggredior causas naturales efficere non posse organizationem. Compositio corporis organici dicitur structura. Cum ergo organicum vi compositionis idoneum sit ad quamdam actionem, & compositio idem sit ac structura; hinc sequitur, quod dicta aptitudo determinari debet a structura; hoc est, ratio, cur detur aptitudo ad actionem, repeti debet a tali structura; & è contra ratio, cur efformetur talis structura, sumenda est ab aptitudine ad talem particularem actionem. Si ergo naturales causae efficiunt organa, primum illae causae attendere debent ad operationem, ad quam faciendam organa debent esse apta, ut noscant quaenam sit determinata organizatio, seu structura, quae dictis orga-

organis convenit: alias daretur organizatio, & consequenter aptitudo ad actionem absque ulla omnino causa, quod esset purus casus, seu effectus sine causa, quod impossibile est: sed talis productio organorum ostenderet intelligentiam, & ad finem organizationis attentionem in his causis naturalibus, ut per se clarum, evidensque est. Si ergo aliaquae sunt causae naturales, quae efficere possunt organizationem, istae debent esse intelligentes, & ad finem organizationis attendentes; quod in his causis admittere quam absurdum sit nemo non videt. Vlterius si rite attendatur ad structuram corporis humani, plura deprehenduntur partialia organa, quorum singula sunt apta ad particularem quamdam actionem; deinde simul tendunt ad generaliorem aliam actionem efficiendam. Ita puta dentes, glandulae salivales, Oesophagus, ventriculus &c. sunt partialia organa, quae singula apta sunt ad propriam respective actionem efficiendam, & una simul concurrunt ad nutritionis opus, scilicet ad cibos praeparandos, ut idonei evadant ad humanum corpus nutriendum. Vnde organa ista si a causis naturalibus construantur, cum causae naturales in instanti non agant, sed temporis successione, omnia dicta organa simul efformari non possunt ab iisdem causis; unum itaque post aliud produci debet. Quando igitur causae naturales primum organum ex illis, quae ad generalem nutritionis actionem destinantur, efformant; tale organum a suis causis ita construi debent, ut non solum aptum sit ad suam propriam functionem exercendam, sed praeterea tale esse debet, ne generalis nutritionis actio perturbetur, ut determinatam relationem dicat structurae, atque aliorum organorum viribus, quae etiam ipsae concurrunt ad dictam generalem nutritionis operationem. Vnde naturales causae in huius organi efformatione se limitare debent dependenter ab aliis organis nutritionis, seu dependenter ab illis organis, quae nondum existunt, ac consequenter limitantur causae naturales ab entibus non existentibus. Quod vere causarum naturalium vires in suis operationibus moderentur ab entibus nondum existentibus, omnino repugnant, cum illud, quod non existit, operationes habere non possit, seu ipsi nihil competit: dicendum ergo est, quod naturales causae efficere non posſunt organorum structuram. Hoc idem pluribus aliis rationibus demonstrari

pos-

posset; ab his tamen abstineo, cum satis demonstratam esse opiner insufficientiam causarum naturalium pro organizationis opere.

XXIV. Cum per rationes in §. antecedenti adductas nos impossibile iudicemus causas naturales efficere posse organizationis opus, hinc probabiliorem asserimus aliorum Philosophorum sententiam, qui putant in prima rerum creatione individuorum cuiuscumque speciei embryones organizatos, sed tenuissimos, a Deo creatos fuisse, ac in primis respectivarum specierum individuis collocatos extitisse, qui successive foecundationis, ac nutritionis ope se expandant, & ad quamdam determinatam molem individuis propriae speciei convenientem excrescant. Fateor in hac sententia multa ardua, atque inextricabiles difficultates occurrere; verum mihi videtur haec non sufficere ad ostendendam dictae sententiae falsitatem; hinc cum usque adhuc illa plausibilior nulla alia a Philosophis excogitata fuerit hypothesis, eam ceteris omnibus probabiliorem sustinemus. Obiectiones, quas desumunt causarum naturalium Patroni ex Mulis, Monstris, & similitudine prolem inter & parentes, eam vim non habent, ut evertant demonstrationes adductas in §. antecedenti, nec probare possunt dictorum phenomenorum repugnantiam cum hypothesi de praeexistentia germinis, seu embryonis. Et sane si Philosophi isti serio adverterent ad cognita phenomena foecundationis, & nutritionis, & harum causarum vires attente perpenderent, agnoscerent profecto, quod accidentales mutationes, quae observantur in Mulis, Monstris, ac prole, ob eius similitudinem cum parentibus, non excedunt activitatem causarum agentium in foecundatione, vel nutritione. Inferre itaque non possunt falsam esse sententiam de germinis praeexistentia. Quae in hac brevi Dissertatione fuerunt adducta, probare iudico Theoremata de prima hominum origine, quae rationis lumine, ac sanioris Philosophiae praeceptis demonstrari possunt, non repugnare historicis factis, quae Moyses in Genesi descripsit.

F I N I S.